UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

Paoletti, Agostino

Coloniae Agrippinae, 1677

Feria II. post Dom. Passionis. 29. Ad salutem consequendam necessum est, ut Deus noc vocet, nosque ei respondeamus.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

decrevit, quod ſi blaſphemator ſpectatæ conditionis aut nobilitatis vir eſſet, prima vice 25. ſcutamulctæ loco penderet, ſecunda quinquaginta; pro tertia vero vice centum: Quod ſi autem hanc pecuniam pendere facultates ſuas ſuperarit, eo quod blaſphemans homo vilis ſit, prima vice alligabitur in die aliquo feſtivo per totum diem ad fores Eccleſiæ manibus poſt tergum vinctis: ſecunda vero vice fuſtigetur per civitatem; quod ſi vero ſpretis hiſce pœnis tertia vice blaſphemiam reiteraverit, lingua ei exſcindatur, atque ad triremes condemnetur utpotè quæ vivus quidam eſt hujus vitæ infernus, quem proinde veluti pignus quoddam accipiat inferni ſubeundi gehennalis in altera vita. Quod ſi autem blaſphemator ille religioſus fuerit; prima vice privetur fructibus per annum, ſecunda vice omnibus fructibus: tertia vero vice omnibus exuatur dignitatibus Eccleſiaſticis. O ſi hæ leges obſervarentur, utique non tot audirentur horrendi blaſphematores; interim quæ in hac vita non habuerunt ſupplicia duplicabuntur & multiplicabuntur in altera. Enimvero de S. Macario legitur, quod per deſertum obambulans quoddam hominis mortui cranium ſive calvariam invenerit, quod cum interrogaſſet, cujusnam hominis eſſet, reſpondit ſe hominis alicujus pagani caput eſſe, cui Macarius mox aliam quæſtionem ſubjunxit, nimirum in quonam inferni loco anima illius pagani detineretur, reſpondit hanc eſſe in barathro quodam Inferni adeo profundo, quanta eſt profunditas ſive diſtantia cœli à terra: quod *non intelligitur per diſtantiam localem, ſed per immenſitatem pœnalem*, Replicavit denuo S. Macarius, num animæ aliquæ in inferni profundiori loco conſtitutæ eſſent præ ipſis? ad quod affirmativè reſpondit, nimirum animæ Hebræorum qui Prophetias habuerunt, nec tamen illis crediderunt: Interrogavit denuo Macarius, ſi adhuc profundior locus ſupereſſet, & quænam in eo animæ ſervarentur reconditæ? Reſpondit iterato affirmanter, in eoque detineri animas malorum Chriſtianorum: *Qui Deum blaſphemaverunt*. Unde deducitur, nullum ex omnibus damnatis majora perpeſſurum eſſe in inferno tormenta, quam ſint ea quæ paſſuri ſunt blaſphemi. Blaſphemia ô quam horrendum & execrandum vocabulum! Blaſphematores! deterius nihil dici aut nominari poteſt.

*D. Vinc. Ferr. ſer. 5. poſt ram. pal. ſer. 1. f. 181. co. 3.*

---

## SERMO XXIX.

# IN FERIAM SECUNDAM DOMINICÆ PASSIONIS.

*Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. cap. 7.

1. OMNE agens quod operatur *vel ex deliberatione voluntatis, vel ex neceſſitate naturæ*, finem aliquem intendere certiſſimum eſt, ſive ille proximus ſit, ſive remotus, ſive intermedius, ſive ultimus. Unde Philoſophus occaſionem ſumpſit aſſerendi, quod *Omne agens agit propter finem.* Scintillans & rutilans flamma adinſtar bene formatæ & elaboratæ pyramidis in altum erigitur, & tametſi ſe tanquam famelicam detineat in depaſcendis combuſtibilis ſui alimentis, nihilominus videtur, quod per inſtinctum naturalem noſtram humilitatem dedignetur, & aliud nihil ambiat, quam ut ad ſtellas uſque ſublimari poſſit. Tandem alis deſiderii inſtructa, quaſi inviſibilis facta ab oculis noſtris diſparet, & per apertas aëris ſemitas aſcendit, ſuiſque ſplendoribus veſtita extrema conatur ut in paternæ habitationis reſidentia deſiderata perfrui quiete poſſit: *Ut quieſcat.* Tu ô Roma vides quod hoc amœniſſimo totius anni tempore, quo pulcherrima Flora in ridentium pratorum agrorumque virore delitiatur,

*Ariſtot. 2. Phyſic.*

vivacibuſque coloribus jucundos colles depingit, atque arbores novis denuò frondibus ſeſe induunt, erumpunt è ramoſis truncis teneræ frondes, quæ vix è genitricis ſuæ viſceribus egreſſæ, infantilium quaſi florum fœcundæ matres fiunt, quos millenis adhibitis curis, eoſdem à frigoris rigoribus, ab indiſcreti Boreæ turbinibus defendendo, non alio fine educare ſatagunt, quam ut illos ex tenellis floribus in maturos ſuaveſque fructus transformare poſſint: *ut flores fructus parturiant*. Obſervate inſuper, O Auditores laborioſiſſimam induſtriam, quam mathematicum illud animalculum aranea videlicet, quantò minori corpuſculo, tantò majori ingenio prædita in telarum ſuarum compoſitione adhibere ſolet. Nam ex proprii ſinus ſui gaza argentea fila trahit, eaque à centro incipiendo ad totam circumferentiam uſque extendit, laborat ſine omni inſtrumento, adæquat ſine circino, rectas ducit lineas ſine norma adhibita, ſe defatigat ſine auxilio, ſubtilia ſtamina deducit, & neſcio, quo modo, illa extendit, & neſcio quo, quaſi ingenioſus geometra ea arte quam natura magiſtra didicit, nunc dividit, nunc cum æquali diſtantia conjungit; Nunc ex lineis parallelis ſcalam quandam componit, per quam ſubitò nunc aſcendere videtur, mox deſcendere, nunc ad dexteram, mox ad ſiniſtram movetur. Sicque ſenſim & paulatim in elaborata è viſceribus ſuis machina finem illum clarè exprimit, quem propria naturæ inclinatio ejus Ideæ impreſſit. Diſtincto quodam & optimè regulato ordine triangulos cum quadratis confundit, ſubtiliſſimas lineas ad circumferentiam innodat, ſive innectit, ſive nodis, aut nexu, & non inæquali ordine eaſdem eodem momento pariter & terminat & conjungit, diſtinguit à rhombis quadrilateres, & rectangulos. Cum debitis intervallis & numeris proportionalibus format angulos, triangulos, & æquangulos. Lineas facit apparere quaſi figuras & pentagonos, adeò ut velut novellus quidam Archimedes vel Euclides in unam tantum figuram velut in breve compendium ſimul contrahat mille figuras, & in artificiis ſuis cum Dædalo certando ſuſpendat in aëra Labyrinthos, quantò Cretenſibus in materia inferiores, tanto iiſdem ſpectabiliores in magiſterio. Et ſicuti quaſi omnes lineas ad unum punctum reducit, ita omnes ſuos adhibitos labores ad viliſſimarum minutarumque muſcarum prædas dirigit. Unde Seneca: *Quanti operis ſit fila diſponere? alia in rectum immiſſa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denſo rara, quæ minora animalia in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant*.

Seneca l. 22. epiſt.

Sic quoque generoſus bellator voluntariam ſibi ab omnibus quibus in paterna domo fruebatur commodis ſequeſtrum eligit ſive divortium, & ſub Martis ac Bellonæ inſignibus, cœli inclementiis & quibuſvis aëris injuriis ſe exponit; Corpus ſuum nunc ardentis caniculæ ſubſternit ardoribus, nunc rigoribus hybernis: plumæ ejus quibus incumbit, nives ſunt, lectus nuda humus, cervical frigidum ſaxum, in quo quilibet breviuſculus ſomnus ei interrumpitur vel à rauci tympani ſtrepitu, vel à lituo, importunoque tubæ clangore, vel à concavorum metallorum horribili fragore, vel à gelidi Aquilonis impetuoſis turbinibus. Et his quidem incommoditatibus ultro citroque ſe exponit non alio fine, quam ut fructibus perfrui poſſit pacis illius, quæ è belli cineribus natalium ſuorum trahit originem: *Bella gerimus, ut in pace vivamus*. Enimvero homo nullum alium operationibus ſuis præfixum habet aut habere debet ultimum finem quam cæleſtem gloriam, quæ in objecti beatifici, quod Deus ſummum bonum noſtrum eſt, viſione conſiſtit, pro cujus finis aſſecutione duæ potiſſimum conditiones requiruntur, una quidem *ex parte Dei*, altera vero *ex parte noſtri*. Et parte etenim Dei requiritur, ut ille gratiæ ſuæ nobis præſtet auxilium nos vocando & excitando, qua in re nequaquam ipſe nobis deeſt: *Stabat & clamabat, ſi quis ſitit*, quia ſine divinæ gratiæ auxilio nullam elicere poſſumus actionem meritoriam: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Ex noſtra autem parte requiritur correſpondentia, libere aſſentiendo & cooperando, faciendo id quod debemus. Unde S. Auguſtinus aſſerit: *Deus non vult ſalvare te ſine te*. Ac proinde Chriſtus dicit: *Veniat ad me & bibat*, porrò etenim neceſſarium eſt ad ultimi finis noſtri aſſecutionem, ut ipſe nos vocet, & nos ei vocanti reſpondeamus. Ecce tibi hic in duas partes diviſum hujus mei diſcurſus ſubjectum ſive argumentum. Enimvero cum Chriſtus aquam offerat, vos illam oblatam acceptate & bibite, ita tamen ut bibendo ſilentium teneatis. *Qui ſitiunt in ſilentio bibant*.

2. *Stabat Ieſus & clamabat, ſi quis ſitit, &c.* Celebrabatur hodie in ſacro Salomonis Tem-

plo cum ſolemni pompâ Hebraicæ Scenopegiæ octavus dies, id eſt, memoria diei illius quo ut Sanctus Pater noſter Auguſtinus opinatur erecta fuere tabernacula: *Dies erat octavus in quo feſtum collectarum agebatur, eratque dies celeberrimus ſicut primus.* Verbum itaque Incarnatum copioſam populi frequentiam & numeroſum gentium concurſum, ultimo ſolemnitatis die vel maximè videns, ex eminenti quodam loco, *Ut ab omnibus videretur atque conſpectu facilius etiam intelligeretur*, ut vult Maldonatus, excellens quoddam aquæ Cryſtallinæ atque cæleſtis omnibus illis alta voce obtulit flumen, quotquot ad eum ſitibundi concurriſſent: *non neceſſitate aut violentia attrahendo, ſed deſideriorum multum habentes vocando*, inquit Chryſoſtomus. Etenim de hac aqua à Salvatore noſtro non Hebræis tantum ſed & univerſo mundo oblata, nec non de ſiti cujus Chriſtus hic meminit, variæ ſunt apud ſacros Scriptores opiniones & expoſitiones. Cardinalis Toletus tenet intelligendum eſſe generaliter *de bono ſpirituali & beatitudine, quæ ſatiat ex parte, quæ quidem hoc ſæculo communicatur, ſed in futuro completur.* Euthymius hunc ſitim ita exponit, intelligendo per ſitim deſiderium ardens, non alia aqua reſtinguendum, quam doctrina per Filium Dei prædicata. Sanctus Joannes Chryſoſtomus vult in hiſce aquis repræſentari dona Spiritus ſancti. (Chryſoſt. [illegible]) *Datur enim interius Spiritus ſanctus, qui fons vivus à quo innumera & perfectiſſima dona & virtutes velut flumina multa procedunt.* Sanctus Gregorius arbitratur, quod cum Chriſtus myſticum quoddam flumen ſit, rivuli per quos fluminis aquæ ad nos deferuntur ſint Charitas, Fides, & Spes. *Rivulus eſt fluminis charitas, rivulus eſt fluminis Fides, rivulus eſt fluminis Spes.* Chriſtus enim in hominum corda tranſfundere volebat charitatem, ut per hanc Deus amaretur ſuper omnia creata: Fidem, ut ſuam deſerentes perfidiam, crederent ipſum Deum eſſe, ac denique Spem ut æternæ beatitudinis præmium ab ipſo ſe conſecuturos eſſe crederent. Veruntamen Maldonatus & cum ipſo multi alii Scriptores Chriſtum nobis ſub aquæ accidentibus vel ſimilitudine gratiam ſuam nobis offerre affirmant, ut nobis velut auxilium quoddam ad ultimi finis & ſalutis noſtræ aſſecutionem proficiat; ac proinde exclamat: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Aperit & oſtendit omnibus fontem gratiæ ſuæ, ex quo qui non biberit, ſalvus eſſe non poſſit.* Porrò ad conſequendam ſalutem noſtram, bona opera requiruntur, quæ ſine gratiæ cæleſtis auxilio facere non poſſumus. Eſtque hæc doctrina certiſſima, à ſacris Theologis tradita, nec non à ſanctis Patribus & conciliorum determinationibus ritè confirmata.

3. Et quidem doctrinam hanc Alvarez inter modernos in medium adducit, dicens: *Homo juſtus præter habitus infuſos, ad bona opera tam interna quam externa facienda indiget nova gratia excitante.* Eandemque veritatem diu ante docuit Doctor Angelicus ſanctus Thomas, dum ait: *Quæcunque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt ſuum actum producere, niſi moveatur à Deo.* Ita quoque Concilium Arauſicanum hiſce verbis determinat: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Cui Concilium Tridentinum quoque ſubſcribit, dum ait: *Quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiâ adjuvamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut poſt cum ipſius adjutorio, quæ ſibi ſunt placita adimplere poſſimus.* Verum enimvero ad Patrem Theologorum, & Theologiæ Magiſtrum Auguſtinum recurramus, qui ſimilitudine oculi, ſine luce videre non valentis, licet perfectiſſimus ſit, ita hæc omnia declarat: *Si oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: Sic etiam perfectiſſimè juſtificatus niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè nō poteſt vivere.* Poſſumus haud dubiè per opera mala à Deo elongari, quia voluntas noſtra per ſemetipſam eſt ad malum inclinata: verum ut ad Deum revertamur operando bonum, quod eſt actus ſupernaturalis, impoſſibile eſt, niſi Deus per gratiam ſuam, quæ à Theologis excitans & adjuvans appellatur, nobis prius ſuccurrat: *Quod à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala, quod vero ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona*, inquit idemmet ſanctus Auguſtinus. Verum enimvero quandoquidem nunc in pulpito, non verò in cathedra conſtitutus ſum, neque animus mihi eſt punctum illud Scholaſticè per Theologiam diſcutere, ſed potius idipſum moraliter per Scripturæ loca exponere, ideo ſufficiet ſi in præſenti cum ſupradicto Patre noſtro concludens dicam: *Nec velle quiſquam poteſt niſi admonitus & vocatus.* Damnata ſiquidem eſt falſa Pelagianorum opinio, qui opinabantur gratiam divinam requiri *ad faciliùs*, non vero *ad ſimpliciter operandum bene* neceſſariam eſſe, ſed

*Alvarez de auxil. l. 9.*

*Idem l. 2. de pec. meri. & remiſſ.*

*Idem ib.*



ad

ad hoc liberi arbitrii virtutem abundè ſufficere. Quam vero hoc falſum & à veritate prorſus alienum ſit ex ipſiſmet verbis Salvatoris ſufficienter
Joan. 15. colligitur, qui non dicit: *ſine me nihil poteſtis faci-*
Tolet. ib. *lè facere* (ut bene Cardin. Tolet. notat.) *aut nihil*
adnot. 9. f. *magnum, ſed ſimpliciter nihil.* Id quod etiam ex ſi-
158. co. 1. militudine palmitis è vite enaſcentis ſufficienter
l. Ag. deducitur, qui *non manet in vite ut facilius fru-*
Idem. *ctum proferat, ſed ut ſimpliciter fructum edat: ubique nullum facturus à vite ſeparatus.* Porrò opera noſtra conſiderari poſſunt pro tribus præcipuè ſtatibus, ſcilicet vel in principio, vel in medio, vel denique in fine (loquor de operibus meritoriis vitæ æternæ) quocunque autem horum modorum conſiderentur, auxilium divinæ gratiæ requirunt ut in lucem prodire & meritoria eſſe poſſint.
Guiliel. Unde cum Salvator ait: *ſine me nihil poteſtis face-*
Pariſ. in *re,* dicere volebat, ut doctus Pariſienſis advertit,
Dom. 22. *nihil poteſtis facere inchoativè, nihil continuativè,*
poſt Trin. *& nihil conſummativè.*
co. 1. 4. In multis ſacræ Scripturæ locis Deus noſter olim præcepit, ut omnium fructuum primitiæ ei offerrentur, præcipuè vero in Exodo: *Primitias*
Exod. 23. *fructuum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei.* Cur autem primitias quæ communiter ea non ſunt perfectione affectæ ut ſunt alii fructus, ſibi offerri expetiit? videris enim quotidiè quod primitiæ ut plurimum ad talem maturitatem non perveniant, qualem alii fructus aſſequuntur. Et deinde quid Dei intereſt ſive fructus acerbi ſint, ſive maturi? cum Deus illos non manducet. Ac proinde aliquod ſub harum primitiarum foliis myſterium deliteſcere exiſtimo. Supracitatus Pariſienſis dicit, quod ſicut flumina in mare refluunt unde emanarant, ita Deus primitias experiendo demonſtrare voluerit, quod primitiæ ad Deum redire debeant, quia ab ipſo originaliter procedunt: Etenim ſive naſcantur, Deus illarum cauſa eſt, ſive creſcant, augmentum illis à Deo accedit, ſive ad perfectionem reducantur, ſive virtute Dei id habere nequeunt, unde Deus per illud præceptum nobis vult innuere, quod opera noſtra bona ſive inchoentur, ſive illa proſequamur, ſive terminentur, à Deo ſemper pro-
Guilielm. veniant: *Dominus in veteri Teſtamento præcipiebat*
Pariſ. ubi *primitias ſibi offerri, & hoc in ſignum, quod inchoa-*
ſupra. *tio boni operis eſt à Deo, & ad Deum referenda, utpote tanquam ab eo principalius procedens quam ab homine.*

5. Mox ut Salomon poſt mortem Davidis patris ſui in regno ſucceſſit, ad Deum ſeſe convertit, magnaque cum inſtantia ei ſupplicavit, ut in adminiſtratione regni ſibi non divitias aut vitam longævam, ſed exquiſitam quandam ſapientiam impertiri dignaretur, ad hoc ut per hanc ſapientiam ſibi continuo aſſiſtens Deus efficeret, ut regimen ſuum irreprehenſibile & Deo gratum, totique regno ſalutare eſſet: *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Indubitatum eſt, quod ad bonum & felix regimen magna requiratur ſapientia: nunquam tamen hactenus ſcivi, quod ad hoc ſcientia quædam requiratur à Deo infuſa; inde enim ſequeretur quod qui hac eſt deſtitutus, bene quoque gubernare non poſſit, cujus tamen contrarium frequenter experimur. Hugo Cardinalis dicit, quod petere à Deo ſapientiam idem ſit, quod poſtulare ab illo humilitatem, puritatem & ſimplicitatem: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quod eſt petere humilitatem, puritatem, & ſimplicitatem.* Unde Salomon hiſce verbis perſuadere nobis voluit, quod nec humilis, nec ſapiens, nec purus, nec ſimplex eſſe, nec aliquem virtutis & meriti actum exercere poſſit ſine auxilio gratiæ divinæ: *Ecce fatetur ſe non poſſe continere niſi Deus det; & propterea orat ſibi dari Dei ſapientiam, quæ deducat eum ſobriè, & ſua potenti virtute cuſtodiat ab incontinentia & intemperantia,* ita exponit Gregorius Ariminenſis. Etenim quis eſt qui neſciat, quod idem Salomon quoadusque concurſu gratiæ divinæ confortatus erat, Regnum ſuum ſanctè gubernarit; mox vero ut illo ſubſidio deſtitutus fuit, omnia ſuſque deque & malo omine proceſſerint.

6. Hanc quoque veritatem Regius Propheta David agnovit, eamque ſæpè nunc ſub metaphora ædificandi, nunc vigilandi, nunc cuſtodiendi indicavit: *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Cur ita? Num forte quia ex defectu ſufficientis animi fabricam cœptam conſummare deſperat? Aut forte ſtabilis non erit fabrica quam erexit? aut quia fabrica eripietur ei & in alienas manus devolvetur? aut quæ tandem cauſa erit quod omnis ædificantium opera ſine Deo vana futura ſit & ſupervacanea? Prodit hic ſanctus Valerianus Epiſcopus Cemelienſis hom. 2. de vana gloria, & dicit. Davidem nihil aliud per hæc verba dicere voluiſſe, quàm quod qui ſine concurſu gratiæ divinæ ædificium meriti per lapides operum bonorum erigere intendit, ſuper arenam fabricare, aut ſuper lapides ſeminare, aut in mari metere, vel ventum reti capere contendat: *Videtis ergo quod nec ſine Domino, quod bonum eſt ædificari,*

*ædificari, nec ædificatum ſine Domino poterit cuſtodiri: Rogandus itaque eſt ſemper Chriſtus noſter, ut in nobis bona nutriat, & exorandus ut nutrita cuſtodiat.* Quod vero ad ſecundam metaphoram vigilandi attinet, ſubjungit: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Cuſtodiat igitur civitatem animæ ſuæ quiſquis volet, ne obſideatur à peccatis, & in prædam Dæmonibus cedat, certum enim eſt quod ſine ſuffulcimento gratiæ cœleſtis *fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*; id eſt, juxta doctrinam Chryſoſtomi ibi fol. 106. co. 2. L. F. (Eam quidem perfectam & abſolutam non poterit quis cuſtodire, ſi illud ei non adſit auxilium.) Et ſanctus Auguſtinus concludit, quod abſolutè laboramus in cuſtodiendo (ſed vanus eſt labor noſter, niſi ille cuſtodiat, qui videt cogitationes veſtras) Sed velim attente auſcultemus quod Propheta conſequenter dicit: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Igitur ſi quis ſummo diluculo, ſole nondum coruſcante ſurgat, is oleum & operam perdere diceretur; dicere quidem poſſemus, hæc verba de illis intelligenda, qui tametſi valdè manè è plumis ſe proripiunt, in vanum tamen ſurgunt, eo quod operibus virtuoſis & fructuoſis ſeſe non applicent. At vero S. Athanaſ. ſenſum Davidis ad meum propoſitum declarat dicens: *Vanum & inutile ergo vobis omnibus antè lucem Chriſtum, qui eſt lux noſtra, ſurgere, & incipere aliquod opus bonum, niſi lux gratiæ infundatur: ſurgite ergo per lucem gratiæ bene operando poſtquam diu ſederitis in peccatis, qui manducatis in afflictione panem doloris, ac pænitentiæ.*

7. Obedientiſſimus Jacob ex præcepto Iſaac Patris ſui è domo paterna ſe recipiens verſus Meſopotamiam Syriæ profectus eſt; ut ex filiabus Labani unam ſibi in conjugem acciperet. Sub veſperam primi diei, totam noctem in ſpatioſo quodam campo tranſigere coactus fuit, loco adeo inculto & minimè ab hominibus habitato, ut ne unum quidem tugurium uſquequaque videri potuerit, in quod ſe hoſpitii & quietis captandæ cauſa recipere poſſet: atque ideo videns ſe à tenebris prohiberi, quo minus ultra procedere poſſet, deſſeſſa membra ſua meliori quo potuit modo ſuper nudam humum proſtravit; acceptiſque lapidibus pallium ſuum iiſdem ſuperimpoſuit, eique cervicalis loco capite innixus confeſtim obdormivit: Dumque membra ex itinere defatigata ſomno reficerentur, ſcala quædam myſtica in ſomnis ei apparuit adeo ſublimis & celſa, ut à terra ad cœlos uſque pertingeret, per quam Angeli continuo motu aſcendebant à terra in cœlum, & è cœlis in terram denuo redibant. O quam pulchra & jucunda viſio hæc erat, atque ad reficienda & recreanda Jacobi membra ex facti itineris incommodis fracta & afflicta abunde ſufficiens: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.* Gen. 18. Ex omnibus autem quæ in illa viſione accidiſſe feruntur nihil eſt quod majorem menti meæ ingerat difficultatem & admirationem quam teſtimonium Jacobi Patriarchæ, quo ſe *Dominum innixum ſcalæ* culmini vidiſſe perhibuit. Ergone Deus fulcro opus habet, cui innitatur! Ille qui totum ſuſtentat univerſum, vaſtaſque cœlorum ſphæras gubernat à ſcala ſuſtentaculum mendicare dicetur? Enimvero Hieronymus Oleaſter verum hujus ſcripturæ ſenſum ingenioſè penetraſſe videtur, dum ait, quod per gradus bonorum operum nemo per ſcalam perfectionis, ſurſum aſcendere cœloſque ad videndum Deum eoque fruendum ingredi poſſit, niſi Deus illum adjuvet ſuſtentando ſcalam, nobiſq; ad cœlum aſcendere ſatagentibus gratiā porrigat opportunā: *Vt oſtenderet neminem ad eum ire poſſe, niſi ille tenuerit viā ejus, ſcalamq; ſuſtentaverit.* Oleaſt. ib. f. 222.

8. Sponſa cœleſtis cum omni modeſtia & civilitate occaſionem ſumpſit à dilecto ſuo cœleſti ſponſo favorem quendam tam ſuo quam totius ſui ſacri gynæcei nomine petendi. Videbatur namque ei quod procul à Sponſo remota nec eſſe, nec vivere poſſit, adeoque ubicunque ipſe erat, ipſa quoque adeſſe deſiderabat, quaſi diceret: O mi ſuaviſſimè Sponſe, me ſine te eſſe aut vivere, idem mihi videtur, quod ſine ſpiritu vel anima vitam traducere, idemque eſt totius nobiliſſimi Gynæcei ſenſus, omnes namque dilectæ filiæ meæ quæ ſancto quodam amore te proſequuntur, tibi ſemper præſentes aſſiſtere concupiſcunt: Interim vero æquitati & rectæ rationi nequaquam conſentaneum eſt, ut tu noſtra cauſa aliquod tibi faſtidium aut incommodum concilies veniendo ad nos, quin potius juſtum & æquum eſt, ut ſine ullo reſpectu incommodi noſtri quod nobis quacunque tandem ex cauſa occurrere poſſet, ad te accedamus, dummodo hanc nobis gratiam quam omnium aliarum puellarum nomine à te depoſco, præſtare dignaberis: *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. Velleſne igitur ô Sponſa ut dilectus tuus tuas ſuppleret negligentias? cur

non

non proprio conatu accurris, ſed expectare vis donec currus & quadrigæ à dilecto tuo in occurſum tibi ſubmittantur? Qui amat raro ejuſmodi complementis inſiſtit, nec tot reſpicit aut deſiderat cæremonias. Præterea, ut verum tibi fatear, mentem tuam non ſatis intelligo: Tu etenim dicis quod movere te non valeas: *Trahe me*, attamen poſtea indicare non dubitas, animum tibi eſſe ad currendum eumque perniciſſimo motu conſectandum: *Curremus*. Quod ſi movere te non vales, ideoque trahi poſtulas qua igitur ratione currere poteris? aut ſi currere libet, cur dicis quod movere te nequeas? ſi alia quædam mulier eſſes, quæ in eo apud me non eſſet conceptu quem de te tanquam viragine ſapiente & prudente habeo, dicerem utique verba hæc extravagantia eſſe, & rectæ rationi parum admodum conſentire. Verum ô Auditores, verba hæc Sponſæ bene conſideremus, exiſtimo enim quod ſi æquo pondere trutinata fuerint, nos adſtringent ad eam magnis laudibus concelebrandam, utpote quæ bene locuta ſit, ſervato per omnia verba ſua rigore ſcholaſtico, haud ſecus ac ſi in graviſſimis ſacræ Theolog. difficultatibus apprimè eſſet erudita, *Trahe me* dicit inprimis, quia ne unicum quidem greſſum facere aut me tantillum movere poſſum ad bene operandum, ſine gratiæ tuæ auxilio, ac proinde. *Trahe me*, id eſt, adjuva me per tuam gratiam, ſic enim fiet ut deinceps ego per libertatem arbitrii correſpondendo, juxta virium mearum poſſibilitatem currendo accelleratura ſim. Hoc ſenſu hæc Sponſæ verba nonnulli Scriptores exponunt, inter quos Coſmas Damianus lib. 1. ita dicit: (Non ignorat nos nihil poſſe cogitare, nedum currere ex nobis tanquam ex nobis, quin omnem ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe.) Ægidius Cardinalis Columna ibi lect. 2. dicit: (Quaſi diceret, Domine JESU Chriſte, video quod ex me non poſſum ad te venire, nec tuam dulcedinem guſtare, ideo tuum auxilium implorando rogo, trahe me poſt te) B. Thomas à Villa nova ibid. fol. 286. ait. (Non ipſa venire per me poſſum, ſed tu trahe, ſequar te, ſi traxeris me.) Et ſuper omnes alios ſanctus Gregorius ibi concludit dicens: *Non currit qui non trahitur, quia quem divina gratia non adjuvat, moleſtia ſuæ corruptionis gravatur, gratia quippe divina nos prævenit.*

9. Certum eſt, quod nos quoad opera bona extincta ſimus cadavera, ſine aliquo vitali principio, quod eſſe nobis influat & vitam. Quid enim boni facere poterit, qui cæleſti gratia non adjuvatur? Quem volatum avis ſine alis faciet, aut quomodo piſcis ſine aqua natabit, aut quem fructum arbor ſine terræ humore producet? Ac proinde huic Catholicæ veritati ſe quoque ſubſcribit S. Gregorius Nazianzenus, dum hanc doctrinam ipſemet calamo ſuo exaravit: *Sine Chriſti ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viva, ut ita dicam, cadavera ſceleribuſque fœtida, ut enim nec avis ſine aere volat, nec delphinus ſine aqua natat, ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem terra efferre poteſt.* Ac proinde David dicebat: *Subſtantia mea apud te eſt*, Pſalm. 38. velut Origenes legit: *Subſtantia mea à te eſt.* Quarum verborum tota difficultas in eo conſiſtit, ut ſciamus quidnam David per ly ſubſtantia, intelligi velit, an eſſe naturale, an dignitatem regiam, an divitias, an fortitudinis robur in laceratis leonibus & urſis, in ſternendis gigantibus exhibitum, vel alia naturæ bona, Hugo vult per ſubſtantiam opera bona meritoria & digna æterna mercede intelligenda. Quæ opinio admodum mihi placet, ſiquidem hæc revera eſt vera ſubſtantia, reſpectu cujus omnia alia quæ poſſidemus ſunt accidentia, *poſſunt adeſſe & abeſſe*; opera autem meritoria nunquam amittuntur: *Opera enim illorum ſequuntur illos, quantum ad fructum ſive mercedem, quaſi dicat, poſt merita habebunt plenum præmium*; ita interpretatur S. Thomas Doctor Angelicus. Ecce igitur tibi veram Prophetæ regii intelligentiam per viſionem Origenis optimè expreſſam, dum legit: *Subſtantia mea à te eſt*; id eſt, à me & ex me nihil poſſum, ad quodvis bonum operandum inhabilis ſum, ſi quid autem, quod gratum tibi eſt, effecero, id totum ſibi in acceptis refero, utporè à quo poſſe operari habeo *Subſtantia mea à te eſt.* Tua enim gratia, ô mi creator, à ſomno me excitat, viriumque mearum imbecillitatem adjuvat. Et ratio eſt ut Magiſter Sententiarum docet, & ex Doctrina S. Pauli deducitur: *Quia voluntas noſtra nil boni agit niſi divinitus adjuvetur.* Unde alibi Apoſtolus ait: *Non autem ego ſed gratia Dei mecum.*

10. Filius Dei duo præcipuè in oratione Dominica obſervanda propoſuit quando per illam aliquam è cælis gratiam impetrare contendimus. *Sic orabitis: Adveniat regnum tuum.* Ecce primum; alterum verò eſt: *Fiat voluntas tua.* Examinemus obſecro hoc loco utrumque. Primò igitur dicitur: *Adveniat regnum tuum.* Enimverò quod ſi liberius nonnihil ad vos loqui (ſalva ſemper veritate) liceat, videtur mihi hic loquendi modus valde incongruus,

incongruus eſſe. Quomodo enim fieri poterit ut Regnum cœlorum ad nos veniat; imò potius conveniret ut nos illud inquireremus. Sic enim Matth. 25. legimus Chriſtum Dominum ſervo illi dixiſſe: *Euge, ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Imò ipſimet electi à Chriſto vocabuntur ut veniant in gloriam: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnũ,* in quibus aliiſque locis ſemper dicitur, quod abire debeamus ad inquirendum paradiſum, cur igitur Salvator noſter, in ſua quam tradidit oratione docuit petendum à nobis eſſe, ut Regnum Dei ad nos veniat? Fortè id fecit, quia cognoſcebat naturalem hominis conditionem, qua homo bonum quidem appetit, ſed ſine labore, ſed potius ut ipſum domi noſtræ hominem requiret. Porrò S. Gregorius Nyſſenus per regnum Spiritum Sanctum intelligit: *Spiritus Sanctus regnum eſt; veniat & purificet nos.* Hugo apud Rayner. de Piſ. dicit, quod [Regnum Dei triplex eſt, ſcilicet regnum potentiæ, regnum ſapientiæ, & regnum lætitiæ.) Petimus autem ut hæc tria Regna ad nos veniant; regnum quidem potentiæ, ut cum debiles & infirmi ſimus, nos corroboret & ſanos efficiat: Sapientiæ verò regnum, ut cum ignorantes ſimus, nos doceat & inſtruat: Denique regnum lætitiæ, ut nos mæſtos & afflictos coſoletur & recreet; atque ideò dicit: *Adveniat regnum tuum.* Communiter autem omnes Scriptores per Regnum hoc Regnum gloriæ intelligunt, unde ut notat Beatus, Joannes de Saxonia, videtur quod potius Deum imperare debuiſſemus, ut nos non dignos efficiat ut regno ſuo potiri & frui valeamus. [Quare non dicit: Veniamus ad regnum tuum: quod tamen videtur convenientius, quia potius non venimus ad Regnum, quàm regnum ad nos.) Tandem verò reſpondet, quod cum non ſit in noſtra poteſtate, nec ſufficientes vires habeamus à nobis ipſis ut regnum cœlorum adire poſſimus, ideò potius petamus ut ipſum veniat ad nos, impoſſibile enim nobis eſt, ut per noſipſos & ſine gratia & auxilio divino ad ſublime illud regnum pervenire poſſimus: (Et ideò quia venire ad regnum non eſt in poteſtate noſtra, ſed ex divina gratia & voluntate, potius petimus regnum Dei venire ad nos, quàm nos venire ad regnum Dei.] ita concludit ſupradictus Jordanes.

11. Alterum eſt: *Fiat voluntas tua.* Dicite ſodes nunquid mera vanitas eſſet, ſi quis deſideraret ut ſol ſplenderet, vel ignis calefaceret? Sine dubio, quia ſecundum curſum ordinarium impoſſibile eſt ut ille non ſplendeat, vel hic non calefaciat. Ita quoque vanum eſſe videtur ut voluntas Dei fiat, ſiquidem id quod Deus vult, infallibiliter futurum ſit. Dici quidem poſſet, quod hic non agatur de facienda Dei voluntate ſolum quoad ſubſtantiam, ſed quoad circumſtantiam & modum, id eſt, *ſicut in cælo & in terra*, ſcilicet ad eum modũ, quo voluntas Dei fit ab Angelis exactè & libenter, ita quoque à nobis in terris fiat, quia dicit Paulus de Palatio: (Porrò licet ſint nonnulli qui ſtudent Dei facere voluntatem, faciunt tamen adeò gravate, illibenter, & amarè, ut ferè optaſſes non feciſſe; ideò Dominus dicit, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, id eſt, libenter, ſine ſcrupulis, ſine anxietate, hilariter, magno & dulci animo.) Nihilominus Ægidius de Columna hunc loquendi modum: *Fiat voluntas tua*, in alio ſenſu exponit, ſcilicet; ut idem ſit ac ſi diceret quis: Da mihi, ô Domine, tantam gratiam, ut tuam facere poſſim voluntatem, ſi enim hanc mihi denegaveris, impoſſibile mihi eſt, ut illam executioni mandare poſſim: (*Fiat voluntas tua*, id eſt, fac me facere & implere voluntatem tuam, quia per me ipſum non poſſum abſque auxilio,) & ſanctus Joannes Chryſoſtomus ſimiliter dicit: *Oſtendes, quia perficere virtutem non noſtri ſit ſtudii tantummodo, verum etiam gratia Dei.* *Chryſoſt. ibidem.*

12. Petrus & Joannes in templum Salomonis debita reverentiæ & devotionis obſequia exhibituri aſcendebant ad horam orationis nonam. Cumque fores templi ingrederentur, claudus quidam qui movere ſe nequaquã poterat, Petro ſe recommendans aliquod ab eo vitæ ſubſidium poſtulabat, ut ſuſtentare eandem poſſet: Petrus autem quia nec pecunias, nec aliud quàm pauperculas veſtes ſuas ſecum habebat; libenter quidem ei ſubvenire voluiſſet, ſed prohibente inopia id facere non valens, elevatâ dexterâ pontificalem ei impertitus eſt benedictionem; & claudum ſanitati reſtituit, qui ſurgens & firmatis lateribus plantiſque conſolidatis integrè ſe ſanatum videns, ad pedes ſanctorum Apoſtolorum ſe provolvit, eoſque brachiis ſuis ſtringens, affectu eam exhibuit gratitudinem, quam ipſomet opere & effectu obſtante paupertate exhibere non poterat. Ad quod miraculum ingens hominum multitudo concurrit, qui omnes claudum hunc liberè & ſine ullo impedimento gradientem videntes attoni-

ti & ſtupefacti fuerunt, nec erat qui non datâ operâ intra hominum illorum turbam ſe ingereret, ut hominem illum ſanatum viderent. Ergone hic eſt ille (ſe mutuo cum ſtupore intuentes dicebant.) quem paulò ante ad fores templi immobiliter jacentem & mendicantem conſpeximus? Eſt ipſiſſimus ille. Sed quis eſt qui tanta pollet virtute hunc hominem adeò integrè reſtituendi? quis eſt ille vir tantus tamque prodigioſus? Omneſque digito Petrum commonſtrantes dicebant: Ecce tibi ſenem illum claudo proximum, hic etenim eſt qui tantam virtutem exſeruit. Quod ſanctus Apoſtolus advertens ad populum converſus hiſce eum verbis affatus eſt: *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Actor. 3. quaſi diceret, nos ex nobiſmetipſis tantam virtutem minimè habemus, ut tantum opus poſſemus attingere, noſtræ enim vires nimium ſunt debiles; Hunc ergo greſſum huic homini dedimus in nomine ſanctiſſimi magiſtri noſtri Jeſu Nazareni, hic ſuam nobis indulſit gratiam, ſine qua impoſſibile nobis eſt, ut aliquam elicere valeamus actionem quæ bonitatis nomen mereatur: *Fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem in conſpectu omnium veſtrum.* In qua actione Petrus demonſtrare voluit, quod gratia Dei ſit ea quæ nos movet, quæque vires miniſtrat operandi bonum actioneſque æterna vita dignas eliciendi. Id quod ſanctus Victor Antiochenus conſiderans dixit: (Qui omnia ante caſum ſibi arrogare audebat, poſt lapſum contraria ſtudia ſectatus nihil quicquam ſibi, ſed omnia Chriſto Domino tribuebat.)

13. Enimverò ex quo actionibus Petri conſiderandis immoramur, aliam quandam pervideamus non minori conſideratione dignam. Ipſe namque tempore Paſſionis Chriſti verum eſſe expertus eſt, quod ſanctus Pater noſter Auguſtinus dicere ſolebat: *Amor meus, pondus meum, eo trahor, quocunque trahor.* Sine ulla enim militum formidine amor illum ad Dominum uſque in atrium Pontificis conſectandum impulit, ubi primò quidem ab ancilla quadam, deinde verò à miniſtris interrogatus, an diſcipulus & ſectator Chriſti eſſet, ter negavit, & cum juramento ſe eum minimè cognoſcere teſtatus eſt: *Cœpit anathematizare & jurare, quia non novi hominem illum.* Marci 14. S. Ambroſius obſervat, quod S. Petrus à ſuo errore non reſipuerit, nec eum defleverit, niſi poſt tertiam negationem. Tunc enim *exivit foras, & flevit amarè.* Luc. 22. Etenim non credo Petrum prima & ſecunda vice extra ſe raptum ſuique impotem fuiſſe, aut in corde ſuo magiſtrum verè non agnoviſſe, tametſi exterioribus verbis & lingua dixerit: *Non novi hominem iſtum.* Matth. 26. Jam verò quod ſi tàm prima quàm ſecunda vice errorem ſuum non minus agnoverit, quàm tertia vice, cur primis vicibus non ſe emendavit, cur non pœnituit aut flevit? Porrò ex ea reſolutione quam ſanctus Ambroſius adfert circa fletum poſt tertiam vicem factum facilè colligere poſſumus cauſam cur prima & ſecunda vice non fleverit. Poſt tertiam etenim vicem, inquit ſacer textus Chriſtum reſpexiſſe: *reſpexit Petrum, & flevit amarè*, Lucæ 23. quia tota ratio amari fletus & pœnitentiæ ſuæ adſcribitur auxilio quod à Chriſto eum reſpiciente ei datum fuit. Prima & ſecunda vice Chriſtus eum non reſpexit, & ideò non flevit. Manifeſtum igitur eſt, quod niſi Deus per aſpectum gratiæ ſuæ nos adjuvet, nos à nobiſmetipſis actum contritionis, pœnitentiæ, vel alterius operis virtuoſi & meritorii elicere, vel etiam unicam ab oculis lachrimam, vel minimum à corde ſuſpirium emittere poſſimus minimè: *Negavit primò Petrus, & non flevit, negavit ſecundò & non flevit, quia non reſpexit eum Dominus: negavit tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè flevit.*

14. Sanctus Paulus Apoſtolus Romanis congratulans, eo quod in fide ſemper creſcerent, eaque per totum mundum dilataretur, continere ſe non potuit, quin in ſignum cordialis jubili quem in corde perſentiſcebat, quandam ad eos litteram exararet, in eaque Domino pro ipſis gratias referret: *Primò quidem ago gratias Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Roman. 1. Obſervat hic Theophylactus Apoſtolum duo præcipuè puncta tangere. Primum eſt, quod fidem ſuſceperint: alterum verò eſt, quod illius fama ſit per univerſum mundum divulgata: (Porrò duo quædam in Romanis ſuo teſtimonio probat, & quia in Chriſtum crediderint, & tanta cum gloria, ut eorum fides terrarum orbem pervaſerit.) Et de utroque divinæ majeſtati gratias refert, quod ſcilicet eos à ſumno excitaverit, dum in gentilitatis erroribus obdormiviſſent, opportunumque eis auxilium miniſtrarit, quod ad duo præstanda neceſſarium erat, ad deferendum malum & amplectendum bonum. Porrò Cardinalis Ægidius Columna verba ſancti Pauli cum attentione ponderat: *Gratias ago Deo per* Jeſum Chriſtum. Nunquid

quid ſuffeciſſet dicere: *Gratias ago Deo meo*, cur igitur inſuper adjungit : *Per Ieſum Chriſtum* ? Nam fortè Paulus *Chriſtum Ieſum* in hac gratiarum actione apud Patrem mediatorem interpoſuerit? Ita quidem opinatur Cajetanus , ibidem fol. 5. cap. 1. dum ait : Quemadmodum Jeſus Chriſtus mediator eſt dum conferuntur à Deo bona hominibus, ita mediator eſt in gratiarum actione.) Et ſanctus Anſelmus pariter ait : ( Sacrificium laudis illi offero , non per me, ſed per magnum Pontificem, id eſt, ( Jeſum Chriſtum.) Supradictus autem Cardinalis Ægidius Columna dicit, quod quia gratias Deo pro beneficiis receptis agere actio bona eſt & reverentia , ideò Apoſtolus aliis verbis demonſtrare voluerit illam in ſe minimè fieri poſſe niſi Jeſus Chriſtus proportionatum ei concederet auxilium : ( Dubitaret fortè aliquis, quare addit Apoſtolus : *Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum* , ut oſtenderet Apoſtolus, omnia bona eſſe à Patre per Filium : Hoc bonum, quod eſt gratias agere , dixit ſe per Jeſum Chriſtum facere, qui eſt Dei & hominum mediator.)

15. Luc. 19. Filius Dei parabolam quandam introducit cujuſdam viri nobilis divitis , atque præpotens, qui ut regni ſui poſſeſſinoem acciperet, in regionem longinquam profecturus, ſervis ſuis, quos bene multos habebat, inſignem reliquit pecuniæ ſummam ut eadem negotiarentur fœnerentur quoad poſſibile foret : *Dedit eis decem mnas* Lucæ decimo nono. Rediens autē rationes exigit receptæ ab iis pecuniæ & lucri inde à ſervis ſuis conquiſiti. Et primus quidem acceſſit , ut Domino ſuo feliciter redeunti congratularetur, & pecuniæ ſibi à Domino relictæ , nec non ſemper eam ſua ſingulari induſtria acquiſiti rationem redderet, & dixit : *Domine mna tua decem mnas acquiſivit*. Circa quæ verba meritò difficultas hæc à me movetur cur ſervus dicat : *Mna tua decem mnas acquiſivit ?* Ipſe ſiquidem Domini ſui agens & negotiator fuerat , ac proinde dicere potius debuiſſet: *Ego mna tua, ſeu pecunia tua, decem mnas acquiſivi*. Agens namque principale quod in negotiationibus lucratur, homo eſt , merces verò & munera cauſa eſt inſtrumentalis vel materialis. Etenim hujuſce difficultatis reſolutionem intelligere non poſſumus, niſi prius inveſtigaverimus quidnam per han: Mnam intelligatur. Nolo autem hoc loco multorum varias adducere opiniones , ſola etenim à Dionyſio Carthuſiano , ibidem articulo quadrageſimo ſecundo, folio 210. lit. B. adducta noſtroque propoſito percommoda reſponſio abundè ſufficiet: ( Mna, hoc eſt , varia dona, tàm gratiæ gratum facientis , quàm gratiæ gratis datæ.) Et quidem ad hoc ipſum confirmandum ſervum introducit dicentem: (Domine mna tua, id eſt, gratia à te præſtita decem mnas acquiſivit , hoc eſt copioſum fructum te operante produxit. ) Unde colligitur idem eſſe dicere Mna , quod gratia. O igitur, quàm prudenter hic ſervus loquitur: Non dicit (Ego acquiſivi , ſed Mna tua acquiſivit ] oſtendendo quod lucrum meriti gratiæ divinæ adſcribi debeat, ſine qua fructificare non poſſumus. Unde Cajetanus in capite decimonono Lucæ , fol. 295, cap. 2. ( Non dixit : Ego ſuperlucratus ſum decem mnas , ſed mna tua acquiſivit decem mnas. Gratiæ Dei attribuit totum lucrum vir ſanctus , juxta illud Apoſtoli : Deus autem incrementum dedit. )

16. Dum Lucifer , creatura nimirum venuſtiſſima inter omnes quas omnipotens Dei dextera condidit, cœli empyrei felicitate potiretur , valde effrænis quædam phreneſis mentem ejus invaſit, qua conſque ſublimari ambiebat , donec ſimilis Deo evaderet : *Aſcendam ſuper altitudinem nubium , ſimilis ero altiſſimo*. Iſaiæ 14. Deus autem elatiſſimi hujus ſpiritus ſuperbiam videns effecit , ut qui ſuper nubium altitudinem conſcendere voluit , lapſus ſit turpiter , & miſerè præceps actus ſit è cœlo empyreo uſque in profundum inferni. Veruntamen ſcire percuperem, quiſnam præcipuus fuerit hac in re Luciferi error: Etenim quod Deo ſimilis eſſe concupierit , virtutis eſſe videtur , quia Deus eſt ipſiſſima perfectio , adeoque qui Deo ſimilis eſſe ſatagit , præſtantiſſimam perfectionem moliri cogitur , quæ inter omnes perfectiones inveniri poſſit. Id quod Chriſtus nobis præcepiſſe videtur, quando nobis perſuaſit, ut omnem conatum adhiberemus pertingendi ad perfectionem Patris æterni : *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Matth. 5. Quod ſi igitur Lucifer ad ſimilitudinem Dei aſpiravit , utique perfectus eſſe vel fieri ſtuduit , & propter hoc tam ſeveri ſupplicii reus eſſe exiſtimabitur ? Præterea quod ſi nos qui inferioris ſumus conditionis à Lucifero non tantum D E I ſimilitudinem , ſed & imaginem ipſius in nobis circumferimus : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. 1. qua ratione Lucifer defectum aliquem commiſiſſe dici poterit , dum ait : *Similis ero altiſſimo*. Sanctus Thomas reſpondet , quod bonū ſive perfectio aliqua duobus modis haberi aut

 pro-

procurati poſſit ; *vel viribus propriis , vel viribus gratiæ* Lucifer quidem ſimilem Deo ſe facere prætendebat , ſed hanc nop gratiæ divinæ acceptam referre volebat , ſed hanc ſibi de jure deberi aut propria virtute comparari & acquiri poſſe exiſtimabat, abſque ulla recognitione dependentiæ alicujus ab auxilio divino. Ac proinde Deus ait : Hic exceſſus nimius eſt, caſtigetur igitur ejus arrogantia per exilium perpetuum & exclusionem à cœleſti curia : *Si appetiit illam divinam ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ , non ex divino auxilio* , inquit Angelicus.

*D. Tho. quod 63. a. 5.*

17. Porrò quàm impoſſibile ſit , vel minimum boni operis fructum ſine divini auxilii cœleſti influentia producere , per hactenus paſſim compertas & probatas experientias vos veluti manu tangere volo. Cum Chriſtus Redemptor noſter ex Bethania Jeroſolymam abiit, inquit ſacer Evangeliſta Matthæus quod *Eſuriit , non neceſſitate , ſed voluntate* , inquit Dionyſius Carthuſianus , *ad deſignandam ſpiritualem eſuriem Chriſti, qua Judæorum ac gentium deſideravit ſalutem.* Cumque cupidum ſe oſtenderet alicujus per cibum ſibi adſciſcendæ reſtaurationis, oculum ſuum in arborem quandam ficus declinavit, viditque ne vel minimum in ea fructum videri aut inveniri poſſe *Et nihil invenit niſi folia.* Tunc Dominus indignatus prodigioſam ſuā ſuſtulit dexteram , illique arbori comminando, eandem ne unquam deinceps fructus adduceret rigidè maledixit : *Nunquam naſcatur ex te fructus in ſempiternum* , & confeſtim exſiccata & arefacta permanſit : *Et arefacta eſt continuò ficulnea.* Nolo hic cauſam inveſtigare, cur dictam ficum arefecerit, cum tempus fructuum adducendorum nondum adveniſſet , ſed ſolum modum ſcire deſiderarem , quo ſcilicet eam maledixit, infructuoſamque, aridam & exſuccidam reddiderit ? ſcio quidem quod tametſi Deus in faciendis miraculis, licet potentiam habeat illimitatam & abſolutam , quâ pro libitu operari poteſt etiam per media & inſtrumenta contraria , ut plurimū tamen mediis utatur proportionatis conformiter ad ordinem & exigentiam naturæ , ſic ſi terram humectare velit, aquâ utitur, non verò igne, prout factum eſt tempore Eliæ , aut ſi ſilvam quandam conflagrare , aut civitatem aliquam in cineres redigere velit , adhibebit ignem , non verò aquam , ut factum eſt civitatibus Pentapolis. Quæro igitur : quonam medio Chriſtus uſus fuerit, dum arborem ficus arefecit, & infructuoſam reddidit , num fortè terræ , in qua plantata erat , ſiccitatem aliquam inviſibiliter immiſit ? Aut vermem aliquem in eâ naſci fecit, qui medullam & viſcera arboris corrodens humore illam radicali deſtitueret ? Reſpondet doctè Janſenius , id factum eſſe non alio medio , quam quod Deus concurſum ſuum ſuſpenderit : *Ea more cœleſtis gratiæ ſubtracti* ; Nunc igitur à fortiori argumentemur : quod ſi arbor ficus in aridum tranſmutata eſt truncum, & ad fructus producendos inhabilis facta eſt ex eo ſolum , quia ſuum Deus concurſum ſuſpendit, quomodo nos in bono fructificare, & meriti fructus producere poterimus ſine auxilio gratiæ cœleſtis? utique id impoſſibile erit, opus enim eſt, ut ipſe nos inclamet: *Stabat Jeſus & clamabat* , & clamando nos adjuvet: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.*

*Matt. 4.*

*Dionyſ. Carth. ar. 25. f. 17. co. 2. l. E.*

18. Inſtare fortaſſe quis poterit dicendo, quod Deus ad dandam nobis gratiam nullam habeat obligationem, nec ad id à nobis cogi poſſit: Quis igitur ſcit , an Deus nobis eam efflagitantibus realiter daturus ſit ? Audi chariſſime, fac tu quod potes , & ex parte tua debes , & de Deo ne quiquam dubites , quia tametſi ad dandam nobis gratiam non obligetur , infallibiliter tibi daturus eſt illam: *Facienti quod in ſe eſt , Deus non denegat gratiam.* Poſſet illam tibi abſolutè negare, ſi vellet , attamen ſi ex parte tua non ſit obſtaculum , nunquam non tibi illam concedet. Et quidem ſi nonnunquam te illam non habere experiaris, id non fit quia Deus, quantum eſt ex ſe, eam tibi neget, ſed tu es, qui illam recipere negligis. Quamnam eſſe cauſam exiſtimas, quod Chriſtus à Malachia Propheta metaphoricè ſol vocatus fuerit ? *Orietur vobis timentibus ſol juſtitiæ.* Vides etenim luminoſum hunc planetam, qui matutino diluculo ſub auroram domum tuam colluſtrat , ut ſplendoris ſui luce te viſitet, promptus eſt ut per feneſtras ingrediatur ; & licet tu ad illas aperiendas ſurgere negligas , ipſe tamen mira cum longanimitate & patientia moratur & expectat. Quod igitur te in lecto ſtertentem, & feneſtras domus aperire nolentem non attingat , nec illuminet , ſit ne hoc defectu ſolis , priuſquam te radiis ſuis illuminaverit abeuntis , an verò tua ipſius culpa , qui ei renitentis , & aditum ad te eidem intercludis ? *Nunquid ſi quis oſtia domus ſuæ claudat , ſolis eſt culpa , quod non illuminet domum ejus ?* interrogat Sanctus Ambroſius : qui tandem hanc deducit conſequentiam : *Ergo ſi quis peccatorum ſuorum repagulis obſerandam mentem* pro-

*proprium judicaverit, & verbi à ſe ſplendorem ſulum avertat, ac ſibi inferat inſipientia ſ actatum, cauſari poterit, quod ſol juſtitiæ noluerit intrare? Aut infirmitatem cœleſtis luminis arguere?* Nunquid illum ad cordis tui fores ſtantem; eaſque, ut ingredi poſſit, pulſantem audis? *Ecce ſto ad oſtium & pulſo.* Et quomodo? *Per excitationem, ſcilicet terrendo per conſiderationem pœnæ, vel immittendo dolorem de peccatis, vel vocando per prædicatores*, inquit S. Thomas Doctor Angelicus; Hæc enim omnia ſunt auxilia, quæ à divina gratia nobis proveniunt. At verò ſi tu oſtium non aperias, imò obſtes, quo minus ingredi poſſit, obſerando fores, eique ingreſſum in cor tuum negando, illene defectus Deo adſcribendus erit? ſtultus eſt qui id aſſerere præſumit. Quod ſi enim Deus tuæ voluntatis reluctantiam videns à te diſceſſerit, prout ſponſæ accidit, quæ dicit: *At ille declinaverat, atque tranſierat*, culpa tua erit, non verò Dei. *Pulſat ianuam tuam Dei verbum: ſi quis mihi aperuerit intrabo, inquit Deus: ſi quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredientis & non magis non aperientis eſt culpa?* Quid aliud ſunt hæ conciones auribus tuis inſonantes, aut quas pater tuus ſpiritualis tibi proponit exhortationes, vel monita, quæ à confeſſario accipis; vel quas Deus tibi immittit internas inſpirationes: quid, inquam, aliud ſunt quam voces Dei quibus te inclamat, quid ſunt aliud quam radii illius ſolis radii, quibus mentem illuminatam eſſe cuperet? Quid putas eſſe quas patieris tribulationes, infirmitates, carceres, filiorum mortes, facultatum jacturam præterquam auxilia à Deo tibi immiſſa, ut reſipiſcas à peccatis, & vitam in melius commutes? Nunquid eum audis exclamantem, & gratiam ſuam ſub aquæ ſimilitudine offerentem, licet à te minime petita fuerit? *Stabat Ieſus & clamabat: ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat*; Ipſe omnibus aquam gratiæ ſponte offert, ut tu pariter auxilium egenis eleemoſynas poſcentibus porrigas, quod & ego ſumma cum inſtantia à te expoſtulo; Et quidem cum opus hoc quodammodo ſit vobis à Deo immiſſum auxilium, ut eleemoſynæ meritum ad egenorum utilitatem & veſtrum commodum comparare poſſitis, eodem non abutamini, ſed cooperando id vobis ut proficuum ſit, efficite.

## PARS SECUNDA.

19. PОrrò divinis vocationibus correſpondere debemus, faciendo ex parte noſtra quod poſſumus & debemus: neque enim ipſe nos humeris ſuis vel Angelorum ſuorum eo, quo vocamur, deportabit, ſed vult ut nos eo ambulemus: veniat ad me. O quanta eſſet hominis illius ſtultitia, qui in foveam quandam collapſus ad illum, qui ad eum ſublevandum dexteram ſuam porrigeret, manum ſuam extendere nollet! Auxilia divina ex parte noſtra cooperationem noſtram efflagitant, prouti eleganter Alcimus Fuſcinæ ſorori ſuæ hiſce verſibus ſignificavit:

*Nam quid dona juvant hominem, ſi mente ſoluta* *D. Alcimus lib. de caſtit. ad Fuſcinam ſororem.*
*Tu pia collatum diſperdant otia munus?*
*Auxilium conatus amat, quis namque vacantem*
*Adjuvet? ant ſomno virtutem jungat inertis?*

20. Enimverò dicat aliquis, ex quo Deus Joſue victoriam de urbe Hierichuntina reportandam decreverat, efficiendo ut ejus mœnia miraculosè corruerent, quid opus erat tot cæremoniis a Joſue poſtea adhibitis, quando illam forti militum manu obſideri & circumcingi fecit, omnes militum copias in aciem redegit, eoſque ne ſtationes ſuas deſererent cohortatus eſt, & ſtratagematibus fingendo fugam, poſtea verò ſeſe vertendo, & aperta facie impetendo inimicum, multaque alia agitando & proſequendo conſilia, prouti ex ſcriptura clarè poteſt videri? Hic igitur adſis ô Joſue, an ignoras Deum urbis hujus expugnationem ſuæ ſoli potentiæ reſervaſſe? Tu ipſe id apertè fatebaris, quando cohortationibus tuis milites tuos animabas dicens: *Tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras.* *Ioſue 8.* Ac proinde longè melius tibi & bono publico Iſraelis conſuleres, ſi quietus ſederes, hancque rem ſoli Deo commiſſam eſſe ſineres. Porrò Theodoretus hic ſubingrediens dicit: verũ quidem eſt Deum illi civitatem hanc in manus dare decreviſſe, ita tamen, ut & ipſemet cooperetur, & collaboraret, reique bene gerendæ præluderet, nihil eorum omittendo quæ ex artis militaris præſcripto requiri poterant: *Confeſtim ergo dimicantibus illis ſuccurrit Deus.* *Theodor. q. 10.*

21. Opportune hic in mentẽ mihi incidit, quod quodã militi cuipiã accidiſſe refertur; Qui priuſquam adverſarium certando aggrederetur, cupidus erat ſciendi, an ex tali certamine victor reverſurus, an verò ſuperandus eſſet, eaque de

causa divinum hac in re conſuluit oraculum, à quo hoc retulit reſponſum, ut ſcilicet alacri & generoſo animo adverſus inimicum ſuum procederet, indubitate namq; futurum eſſe, ut glorioſam de eo reportaret victoriam, inimicus autem ejus morte ſuccumberet; ſollicitè tamen curaret, ut Minervæ effigiem, id eſt, haſtam & ſcutum ſecum in certamen deferre non negligeret. Id quod præfatus miles fecit quidem, attamen cum adverſario congrediens haſta inimicum impugnare noluit nec offendere, nec ſcuto ab adverſarii ictibus ſeſe tueri aut defendere curavit. Unde graviter tandem & periculosè vulneratus in terram concidit, & de oraculo conqueſtus dixit: *Vbi Deorum fides?* Cui hoc reſponſum confeſtim obvenit: *Tu quoque cum Minerva manum adhibe.* Porrò Deus ſemper promptus eſt atque paratus, ut nos divina ſua gratia adjuvet, ſed *Tu quoque cum Deo manum adhibe.*

*Pau. Manut. in Adag. f. 350.*

22. Duo ſanctæ Eccleſiæ ſacri Doctores Ambroſius & Auguſtinus pulchram quandam difficultatem movent circa ſecundum caput Geneſeos. Ibi namque legitur quod poſtquam Deus cuncta in eo pulcherrimo & eleganti ordine, quem etiamnum videmus, creaſſet, omnes animalium ſpecies coram Adamo produxerit: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*, quaſi diceret: Reſpice ô Adam, quod innumera creata ſint à me animalium genera, quæ omnia inter ſe varia ſunt, valdeque differunt, alia namque pellibus veſtita ſunt, alia plumis, alia ſunt domeſtica & tractabilia, alia fera & ſylveſtria, prouti aſpectum inter ſe multum habent diſſimilem, ita quoque naturalibus proprietatibus valde inter ſe variant: alia namque ſimplicitatem ſociam habent, aliis malitia propria eſt, hæc quæ majori ſpiritu pollent, rapidiorem quoque in curſu velocitatem exhibent; quæ verò corpore ſunt craſſiori, magiſque materiali affecta, tardiori motu progrediuntur, ex aliis quæ ludendo per aera vagantur plumis veſtita, milleniſque colorum temperamentis diſtincta, multa ſunt, quæ cantando elegantem conficiunt harmoniam; ſunt & alia quæ importunis vocibus ſtridendo vel crocitando aures auditorum moleſtant: inter quæ alia ſeminibus, alia herbis, alia rapinis paſcuntur & victitant; inter quæ alia natura ſua prona ſunt ut nidos ſuos in arboribus ſibi faciant; alia juxta terram in ſtirpibus & dumetis, alia in tectis vel turribus: cuncta autem quæ coram te conſpicis animalia, hæc mea divina dextera plaſmavit, quorum tibi qualitates eo fine recenſere volui, ut cuilibet proportionatum & eſſentiæ ſuæ correſpondens nomen imponas: *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus*, imò Deus quoque voluit, ut etiam piſcibus, quorum proprietates difficillime cognoſcuntur, quorumque numerus ſine numero eſt, ſua quoque ab Adamo imponerentur nomina, prouti opinatur Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, licet Scriptura ſacra nullam hac de re faciat mentionem. Supracitati autem ſancti Patres circa hunc locum hanc movent difficultatem; Et quo Deus tot animalia creaverat, nunquid iiſdem ſua quoque imponere poterat proportionata nomina? Ecquis enim illo proprietates cujuſlibet animalis diſtinctius & perfectius cognoſcere poterat! Jam fecerat id, quod majus erat, facile igitur facere poterat quod erat minus: Veruntamen Deus idipſum nequaquam voluit, quinimò juſſit, ut Adam quoque ex ſua parte operam ſuam adhiberet, quaſi diceret; ego creavi animalia, ipſe iiſdem congrua aſſignabit nomina. *Illud divinæ operationis fuit, hoc humanæ diligentiæ.* Deus etenim promptus quidem eſt ad operandum id, quod ad ipſum ſpectat, vult tamē ut nos quoq; noſtram adhibeamus induſtriam.

23. Utique ſæpius in ſacra ſcriptura ſacra legiſtis miram à Rebecca adhibitam induſtriam & ſtudium, ut Jacobo filio ſuo patris benedictionē conciliaret, quomodo ſcilicet eum veſtiverit veſte fratris ſui Eſau, juſſeritque ut carnes capreoli loco ferinæ patri ſuo Iſaac præparatas deferret, qualiter ei confecerit par quodam chirothecarum è pellibus affabre confectum, ad hoc ut manus ejus inſtar Eſau piloſæ apparerent, tota autem Rebeccæ induſtria aliò non reſpiciebat, quàm ut Iſaac deluderet, & optatam ab eo pro filio ſuo benedictionem extorqueret. Enimverò continere me nequeo, quin in ſummā rapiar admirationē, dum hujuſce mulieris dolos conſidero, ac proinde ſcire percuperem, quidnam per hoc decipiendi ſtudium prætenderit, ſiquidem jam Deus ei promiſerat, & infallibilem ei fidem fecerat, quod *major ſerviet minori*; id eſt quod Jacob prærepturus eſſet benedictionem & primogenituram Eſau fratri ſuo, quid igitur opus tanta induſtria & ſtudio? metuebat ne fortè Deus verbo ſuo deeſſet? enimverò ſimile quaſi factum, ſi non quo ad ſubſtantiam, ſaltem quo ad modum in Scriptura ſacra de Davide refertur. Vos

etenim

etenim ſcitis, quod à Rege Saule ei intentatæ fuerint perſecutiones & ſtructæ inſidiæ; ſcitis iſdem quãtas David adhibuerit curas, & excogitarit inventiones, ut è manibus ejus elabi & fugere poſſet, dum per Michol conjugem ſuam per feneſtram quandam ſe dimitti fecit, dum fatales haſtæ Saulis ictus per fugam declinavit, cum denique violentiam vitæ ſuæ inferendam metuens, ſtultum ſe finxit, quando à manibus Regis Saulis fugiens, in Geth ad Regem Achis ſe recepit, difficile autem eſt intelligere, cur David per tàm multiplicem adinventionem hoſtiles inſidias declinare ſtuduerit, quod ſi enim mecum ô Auditores l. 1. Reg. cap. 16. adeatis, invenietis quod magnus Propheta Samuel Davidem in Regem unxerit, ut regnaret poſt mortem Saulis: *Tulit ergo Samuel cornu olei & unxit eum in medio fratrum ejus.* Ac proinde ô David, vix cauſam conjicere poſſum, cur adeò vitæ tuæ timeretis, jam enim notum tibi erat, quod Deus te efficaciter Regem eſſe voluerit, qui poſt mortem Saulis imperares, nec tantum id promiſerat, verum inſuper per Samuelem te inungi fecerat, quid igitur metuis? Num fortè Deum fallacem ſibi tibi perſuades? Minimè. Quid ergo, ſi Deus determinavit ut in Regno Saulis ſuccedas, faciat & conetur ille quidquid vult & poteſt, nihil tamen contra te obtinebit, quænam igitur eſt timendi occaſio? Potius animo quieto & tranquillo ſomnum tuum dormire debebas, & ſcire, quod Deo curæ ſit, ut ab omnibus inimicorum inſidiis cuſtodiaris & defendaris. Enimverò vix viam difficultatem hanc evadendi invenire poſſem, niſi per actiones S. Pauli aliquis mihi reſpondendi modus ſuggereretur. Certiſſimum etenim eſt, quod Deus eum de ſua ſalute omninò ſecurum reddiderit, nam hoc fine eum in magiſtrum gentium & vas electionis elegerat: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* *Vas electionis* inquit Cajetanus, *in quo locanda ſunt omnes gratiæ, imo ſummæ gratiæ; Vas ergo electionis dictum eſt vas divini nominis:* & tamen in ea, quam ad Corinthios ſcripſit, epiſtola manifeſtè ſatis teſtatur, ſe catena quadam corpus ſuum dirum in modum caſtigaſſe: *Caſtigo corpus meum*, & mortificaſſe ſenſualitatem ſuam, ne adverſus rationem inſurgeret, *Et in ſervitutem redigo*: Ex quo autem Verbum Incarnatum eum de ſua ſalute jam reddiderat ſecurũ, & veluti ſanctum & vas electionis ore proprio canonizaverat, quid opus erat tantis corporis ſui macerationibus, tot diſciplinis & rigoribus?

1. Reg. 16.

Act. 9.

1. Cor. 9.

Reſpondet Euſebius Emiſſenus Paulum ſibimetipſi deeſſe non voluiſſe, ſciebat quidem ſe electum eſſe ad gloriam, & tamen divinæ vocationi cooperari volebat, faciendo quod ex parte ſua requirebatur: *Caſtigo corpus meum; ecce beatus Apoſtolus jam Chriſti habitaculum, jam vas electionis effatus, intelligit ſibi non ſufficere ſolam gratiam, niſi gratia adjungat ſollicitudinem, vigilantiæ & laboris induſtriam.* Certus quoque David erat, quod Deus eum in Saulis ſucceſſorem elegiſſet, omnem tamen ex parte ſua adhibere voluit diligentiam, nec quidquam omittere, quod requirebatur ad vitam conſervandam, & conſequenter reſpondendum vocationi, qua à Deo ad regnum Iſraelis deſtinatus fuerat: *Quamvis certitudinaliter credebat ſe fore regem poſt Saulem prout fuerat ſibi divinitus revelatum, ex hoc non tollitur quin faceret quantum in ipſo erat ad ſalvandam animam ſuam & ſuorum*, inquit Burgẽſis. Rebecca quoque minimè dubitabat, quin divinæ promiſſiones Jacobo oculorum ſuorum pupillæ factæ adimplendæ eſſent, nec tamen quidquam diligentiæ omittere voluit, quæ ex parte ſua requireretur. Unde applicari hic poterit illa S. Auguſtini doctrina in alia quadam occaſione allata qua ait: *Admonendi ſumus ex hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt ab hominibus in præſidium ſalutis, ne prætermittentes ea Deum tentare videamur.*

Euſeb. Emi. hom. 1. de init. Quadr.

Burg. addit. 2. ad eum loc.

D. Aug. in Gen.

24. Enimverò nemo ſibi imaginetur, quod Deus ex parte noſtra magna & valde difficilia quæ impoſſibilitatẽ quandã præ ſe ferrent, requirat, imò ſi talia eſſent quæ Deus à nobis poſtulat, ipſe manum ſuam nobis porrigeret, ut omnem difficultatem facilè ſuperaremus. Deus in Geneſi, ut Noëmũ cum univerſa familia ſua à diluvio ſalvaret, eidem ut arcam quandam faceret præcepit: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Speciatim verò ei impoſuit, ut *ut bitumine liniret intrinſecus & extrinſecus* ad hoc ut nulla arcam aqua penetrare poſſet. Porrò ſacer textus dicit, quod Noe *Fecerat omnia quæ locutus fuerat ei Deus*, id quod difficulter intelligi poſſe videtur, neſcio enim quomodo fieri potuerit, ut à Noemo intra arcã conſiſtente fores arcæ extrinſecè bituminarẽtur? Eſtque hæc difficultas mota ab Alcuino dicẽte: *Quomodo poſtquã clauſum eſt oſtiũ & nullus hominũ extra arcam fuit, bituminari extrinſecus oſtium potuit?* Si autem id facere non potuit, quomodo omne id feciſſe dicitur, quod Deus ei præcepit? Porrò dubium hoc ſolvit dicendo, oſtinum

Geneſ. 6.

Alcuin. qu. 11. 5.

um illud à Deo bitumine illinitum fuiſſe: *Hoc ſine dubio divinum opus fuit, ne ingrederetur aqua per aditum, quem humana non munierat manus.* Fecit igitur Noë quidquid ſibi ex parte ſua poſſibile erat, & ſic dicitur *perfeciſſe omnia.* Nos igitur non deſinamus quoque facere quidquid poſſumus, Deo namque curæ erit ſupplendi omne illud, ad quod viribus noſtris pertingere non valemus. Unde Lyranus dicit: *Noe intra arcam exiſtens non potuit oſtium extrabituminare & ideò Deus ſupplevit quod homo non potuit.*

*Lyranus ibidem.*

25. Poterat utique Chriſtus in nuptiis Cananæis efficere, ut vinum adduceretur, abſque eo quod miniſtri hydrias aqua replerent, & tamen illas ab iiſdem adimpleri juſſit: *Implete hydrias aquâ*, facile etenim erat aquam invenire, veruntamen voluit ut miraculo ſuo ipſi quoque cooperantur adducendo aquam, quaſi diceret, vos aquam curate, mihi curæ erit ut inde vinum fiat: *Vt vobis divina communicentur dona, cooperatio noſtra eſt adhibenda: & ideò mirabile vinum non datur, niſi dum operantur miniſtri & aquam propriis manibus humeriſque deferunt*: Scribit Pater Sylveira Carmelitanus. Enimverò Deus nos ad gloriæ fontem vocat: *Stabat Ieſus & clamabat, ſi quis ſitit,* atque ideò ſi deſiderii noſtri ſitim extinguere, hancque ſalutarem aquam conſequi velimus, neceſſum eſt ut nos moveamus, & greſſibus noſtris ad Deum accedamus: *Veniat ad me & bibat.* Nos autem vellemus, ut Deus humeris ſuis ad gloriæ fontem nos deportaret, abſque ulla noſtra induſtria; vellemus deſiderata bona in ſinu noſtro videre, neſcientes unde venirent, cum tamen pro modicæ pecuniæ lucro nulli parcamus labori, & non ſolum faciamus id quod poſſumus, ſed ultra vires noſtras ſæpè conemur. Si vigilia aliqua occurrat, in qua jejunandum eſt, quantæ hic difficultates & repugnatiæ occurrunt, ſi verò lucroſum aliquod negotium occurrat, quod integræ diei improbum laborem requirat, cui à matutino diluculo in ſeram uſque noctem incumbendum ſit, nullus vobis labor gravis eſt, nec exſpectatis pecuniam de cœlo labentem, quod an verum ſit, vobiſmetipſis conſiderandum relinquo, voſque cum benedictione Dei dimitto.

*Ioan. 2.*

*Ioan. Sylveira to. 2. lib. c. 1. qu. 29. nu. 117. f. 26. col. 2.*

SERMO XXX.

# IN FERIAM TERTIAM
## DOMINICÆ PASSIONIS.

*Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam.* Joan. cap. 7.

*Macrob. lib. 1. Saturn. c. 21. fol. 193.*

1. EST ſpecialis Macrobii opinio, annos in menſes, menſeſque in dies à Numa diviſos fuiſſe: *Vt in menſes annum, ita in dies menſem quemque diſtribuit* Dies autem ab eodem in tres claſſes fuiſſe diſtinctos, id eſt, in feſtos, profeſtos, & interciſos: *Dies omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocavit:* inter quos hæc erat differentia, quod feſti dies Diis illis dedicabantur, quos antiqui veluti numina tutelaria adorabant: Profeſti autem dedicabantur hominibus de republica bene meritis; interciſi autem utriſque communes erant. Feſtivi dies præcipua cum ſolemnitate tranſigebantur, vacando à negotiis forenſibus, immolando in altaribus victimas, ſumptuoſa celebrando convivia, vel ludos ſolemnes inſtituendo ſcilicet gladiatorios, ſcenicos, circenſes, ſaturnales, vel alios ſimiles: *Sacra celebritas eſt, vel cum ſacrificia Diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur Deorum, vel cum feriæ obſervantur.* Porrò Alexander ab Alexandro alios quoſdam dies aſſignat, qui ſunt infauſti, ab antiquis atri appellati, forte quia Græci illos carbone ſignare ſolebant: *Dies nigro calcu-*